

18

DE
LIENE IN LIENOSIS
SAEPE INSONTE

P R A E S I D E
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVGAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXI. JANVARII CICDCCXCI.
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM
R I T E C A P E S S V R V S

P V B L I C E D I S S E R E T
IOANNES SAMVEL LANGE
LANDSBERGENSIS NEOMARCHICVS.




TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DE

LIEBE IN THIENOSAIS
SARNE INSONTE

ERGÄNZT DURCH IMAGINATIVEN ERSTÖTZEN

ERNST HARTMANN - HERTZ



PROOEMIVM.

Magna fuit apud veteres *lienis* auctoritas atque existimatio, quandocunque de originibus atque sedibus eorum morborum, qui, praeter corporeas functionum mutationes, ipsi quoque menti eiusque operationibus, vimutui, licet inexplicabilis, commercii, imperare deprehendebantur, incidenterent quaestiones. Hinc ab intemerata splenis indole risum laetitiamque; a contrario vero

A 2

eius-

eiusdem statu fletum, moerorem, curasque
 anxias oriri, publice adfertum est. Quo-
 tusquisque est, qui tritum illud: *Splen ridere*
facit, ignoret? Eandem ob causam quoque
 ii, quorum lienes vitio quodam laborare pu-
 tabantur, apud Graecos Romanosque *sple-
 neticorum* aut *lienosorum* nomen meruerunt.
 Sed, quod tunc temporis in honore erat, vo-
 cabulum nostra aetate vnu fere excidit, et
hypochondriacorum nomini cessit; quippe hoc
 praetextu, ne ad solum lienem, sed ad he-
 par quoque, vt sunt vtriusque hypochondrii
 incolae, pessimi morbi origines deferantur.
 Ego vero, in praesenti commodam scribendi
 occasionem na&tus; suone merito recteque
 in omnibus lienosorum exemplis lien, tam-
 quam fons mali, sit accusatus, an temere,
 immeritoque? breuiter expendam. Quam
 operam si bene exegero, applaudite mihi,
 lectors: si vero male, plenos, nam per
 me licet, lienes solido explodite cachinno,
 et integris splenibus valete.

§. I.

§. I.

Lienosi quinam?

Veterum Romanorum *lienosi*, Graecorum σπλαγχνοί, si ad vim vocis attenderis, generatim omnes illi dicebantur, qui quomodocunque ex liene laborant *a*). Passim tamen apud eiusdem aetatis scriptores migravit haec vox in proprium velut quoddam domicilium, notauitque eos priuatim homines, quibus a liene inflammatu durities ibidem, cum colore naturali corporis mutato, remansit *b*). Quoniam vero iidem medici, ex praeconcepto opinionum consensu, liensem, tanquam atrae, ut loqui solebant, bilis fontem atque conceptaculum, aestimabant, euenit, ut lienosorum nomen singulatim in illos quoque transferretur, quibus ab humoris huius melancholici copia lienes infarciebantur *c*). Sed iis quoque quibus a pituitosa colluie lienes turgebant, lienosorum nomen est datum *d*). Variae hae huius vocabuli significations inde a GALENI temporibus ad Arabes, ab

A 3 his

a) Confer IO. GORRAEI *Definit. medic.* pag. 426. edit. Wechel.
1578.

b) *Ibidem*, et auctor definition. GALENI. Confer FOESII Oeconom. Hippocrat. sub voce: Σπλάγχνη; et HEBENSTREIT Exegetis nomin. graecor. qui morbos desinunt, pag. 441.

8) GORRAEVS et FOESIVS libr. et loc. ciz.

d) *Ibidem.*

his ad Latinobarbaros, vulgo sic dictos, eosque, qui sub renascentium litterarum primordiis viuebant, transierunt.

§. II.

Nuperorum hypochondriaci.

Verum enim vero iam antiquissimis temporibus in morborum numero notauerat HIPPOCRATES e) praecordia a flatibus tentata atque murmurantia, ὑποχόνδρια μετέωρα, διαβορβορίζοντα, horumque symptomata, nempe grauantes dolorem ad hypochondria, aut caput, aut aliam partem, aut viscus, consuetorum excernendorum non satis potens; porro corporis tumorem, aut extenuationem, aut decolorationem, aut mouendi tarditatem, aut dispositionem somnolentam, aut perugilium, significantissime comprehenderat GALENS f). Proinde, quoniam partim princeps horum malorum sedes circa loca erat, quibus lien. heparque subsunt; partim etiam illi ipsi, quos ante diximus (§. I.), aut quos haud dissimilia iecinoris, atque lienis, vitia vexabant, recensis pathematibus hypochondriacis potissimum obnoxii deprehendebantur: haud obscura est caussa, cur olim familiarius *lienosi* morbi nomen in *hypochondriasis* patrum auorumque nostrorum memoria sit mutatum. Interim in producendo hoc morbo semper potiores partes lieni vitiato a maiori- bus

e) Libr. I. *Epidemi. Aegrot.* 8. et libr. V. passim.

f) *De constitut. medic.* Cap. 19.

bus nostris Germanis quoque esse adsignatas; vel ipsum nomen vernaculum, *die Milzsucht*, nec dum obsoletum g), luculenter declarat. Quin etiam varia nuperorum medicorum medicamenta arcana, verbi causa, elixirium antihypochondriacum, siue essentia splenetica Halensium, *die hallische Milzessen;* vtroque nomine insigniuntur.

§. III.

Origines morbi hypochondriaci controuersiae.

Quos in huius commentarioli inscriptione professi sumus, *lienosi* ampliori illo significatu, qui etiam quoslibet hypochondriacos complectitur, a nobis hic comprehenduntur. Sed versipellis, Protei in star, morbi huius natura in dolesque mox effecit, ut de ipsis originibus, causis, sedibusque maxima inter optimos perspicacissimosque Pathologos subnascerentur disceptationes opinionumque dissensiones. Tot enim tamque multiplices adfectiones, quae caput, pectus, abdomen, immo vniuersum corpus, variis incommodis cruciatibusque, tensionibus, profissionibus, spasmis, languoribus, et quo non malorum genere hypochondriacos vexant, et potiores, ne dicam omnes, animi corporisque functiones turbant, et saepe mox per periodos, mox continua fere serie, ingruunt, quis pro dignitate satis enumaret? Neutquam tamen nostri nunc est propositi, quod lienes

g) Videbis v. c. HEBENSTREIT l. c. et VNZERS medicin. Hand-
buch, in indice, sub voce *Milzsucht*; et innumeros alios passim.

lienes potissimum hoc in morbo saepe infontes respicit, omnia pathemata, quae miseris huius generis aegrotis propria esse solent, singulatim expedire, morbiique huius historiam curatius expedire: quandoquidem haec singula plurimi, tam ingenio, quam doctrina, illustres medici, editis hoc de morbo praestantissimis commentariis *h*), locupletissime et ad obseruationum veritatem accommodate sunt persequuti.

§. IV.

Nec dum satis expeditae.

Tametsi vero partim collectae ex tot iam annis obseruationes, partim ratiocinia ex iisdem magna circumspectione deducta, ad eruendam veram mali hypochondriaci caussam sedemque conferrentur: tantum tamen absuit, vt haec res exinde supra omnem ambiguitatem constitueretur; vt potius definiendae genuinae sedis, in qua hic morbus residet, nouae natae sint difficultates. Hinc tot contrariae sententiae, hinc incredibiles hoc de arguento opinionum disiunctiones! Veteres medici, vt supra exposuimus, sedem huius mali potissimum in visceribus hypochondriacis, hepate nimirum atque splene, posuerunt. Ab his parum abludit sententia GEORGII ERNESTI STAHLII *i*), eandem ad vitias systematicas

b) Praestantiores horum scriptorum quosdam paulo post excitatibus.

i) In *dissert. de hypochondriaco et hysterico malo; et de vena portae, porta malorum.*

matis venae portarum functiones referentis: quocum etiam maxime consentit IOANNES KAEMPFIVS, eiusque filius, nuper demortuus, vna cum ceteris eiusdem adseclis; quippe qui venarum abdominallium, ad portarum venam redeuntium, infarctus, hypochondriaseos praecipuos auctores, existimat k). Contra autem celeberrimus suo tempore FRIDERICVS HOFFMANNVS l) pessimi huius morbi origines in peruerso intestinorum motu; RVDOLPHVS AVGVSTINVS VOGEL autem m) in ventriculi intestinorumque debilitate, vna cum praeternaturali pituitae copia, sanguinem velut inundante, exquirit. THOMAS SYDENHAM, immortalis memoriae vir, accusat hic ataxiam spirituum animalium, hoc est, tñs & rias, nobis necdum satis cognitae atque perspectae, quae in nervis actuosa est, et in eorundem fibras velut impetum facit ad excitandam sentiendi, immo etiam, muscularum concursu, mouendi facultatem, dirigendumque simul nervorum cum mente consortium n). Hanc ipsam SYDENHAMI sententiam deinde nuperorum pathologorum plerique amplexi

k) In *dissert. de infarctu vasorum ventriculi*; Basil. 1751. SIEGWARTI, FABRI, et iunioris KAEMPFII, notissima scripta, lubens praetermitto.

l) In *dissert. de vera morbi hypochondriaci sede*, etc. Halae 1719.

m) In *Praelect. de cogn. et cur. C. H. adfectibus*; p. 441. seq.

n) In *dissert. epistolar. ad GVIL. COLE*; pag. 485. seq. Opp.

plexi sunt, verbi causa, FRACASSINIO), WHYTT p), HVNAVLD q), POMMER), RAVLIN s), LORRY t), DUFOUR u), et longe plurimi alii: nisi quod horum virorum alias nimiam neruosi systematis teneritatem atque sensibilitatem; alias spirituum animalium magnam visciditatem; eorundem acrimoniam alias; alias denique eosdem generatim et indefinite morbos, ex praesumptione declarat.

§. V.

Duplex hypochondriaseos genus.

Sed in tanta huius rei obscuritate aliquid tamen lucis attulerunt sedulo frequenterque instituta plurimorum medicorum obseruata, exquisite inter se collata atque aestimata. Ex quibus sequentia constitui et ad certitudinem deduci potuerunt. Primo deprehensi sunt hypochondriaci, quibus post inopinatos vehementes animi adfectus, sollicitudines, moeres,

- o) In *Oprscul. pathol.* pag. 252. seq.
- p) *Von Nervenhypochondr. und hyster. Zufällen; in Sämtl. Werken*, p. 241. seq. edit. Lips. 1771.
- q) In *dissert. sur les Vapeurs*; Paris. 1756.
- r) In *Essai sur les affectiones vaporeuses*; Paris. 1761.
- s) In *Tr. des affectiones vaporeuses*; Paris. 1758.
- t) *Von der Melancholie*; p. 213. seq. et 444. seq. edit. Francof. et Lips. 1770.
- u) *Im Versuch über die Verrichtung. u. Krankh. des menschl. Verstand.* pag. 258. seq. Leipzig. 1786.

rores, iracundias, terrores, et ceteros subitanea pa-
themata hypochondriaca superuerunt: mox tem-
poraria, mox diurna, mox per periodos recurren-
tia; corpore praeter ea ceteroqui sano et neutiquam
valedudinario. Huius generis exempla passim in su-
pra citatis commentariis referunt viri celeberrimi,
WHYTT ET LORRY. In aliis porro hypochondriacis
sensim irrepit hoc malum, et in dies maiora pessimo-
rum symptomatum capit incrementa; animi deie-
ctiones et anxietates sunt constantiores et pertinacio-
res, ac in prioribus aegrotis; ipse etiam faciei natura-
lis color mutatur, et saepe subflauescit. Quotusquis-
que hic non infarctus aut ipsos scirrhos hepaticos sple-
nicoe exspectet? Defuerunt tamen saepe in incisis
horum aegrotorum cadaueribus; et pancreatis aut
mesenterii aliqua portio infarta aut indurata est re-
perta. Tum e contrario deprehendunt haud raro in-
ciseores hepatis lienisque infarctus, tumores, scirrhos-
que in cadaueribus hominum, quos, dum viuerent,
licet aliis morbis essent obnoxii, nulla tamen vnquam
hypochondriasis infestauit x). Deinde quoque ob-
seruando saepe compertum est, illum lente acceden-
tem, increcentem, diurnum, morbum hypochon-
driacum a superueniente febre aut acuto quodam in-
testinorum morbo haud raro ex improviso et satis ce-
leriter esse sublatum y). Secus autem haec euenisse

B 2

in

x) **VOGEL** libr. et loc. citat.y) Ipsum **Praefidem** nostrum a grauissima hypochondriasi dysente-
ria liberauit.

in hypochondriasi, subitanea grauissimorum animi motuum pedissequa. Hanc *denique ipsam vero* saepe, sine omni remediorum vsu, partim sedata istorum animi affectuum vehementia, partim nouis temperatioribus et gratioribus mentis motibus, penitus cessisse, haud infrequens testata est experientia. Ex his ergo obseruationibus nuperi inprimis pathologi, praecipue W HYTT, L ORRY, et S TVNZER ^{z)}, duplex constituerunt mali hypochondriaci genus: alterum *neruinum*; *viscerale* alterum, quod infartis et vitiatis in aliquo viscere, praetertim abdominali, humoribus debetur. Prius istud etiam *sine materie*; posterius *vero cum materie* esse vulgo dici, et hac denominatione inter pathologos discerni solet.

§. VI.

An in hypochondriasi neruosa sons lien?

Progredimur nunc ad disceptandam ex instituto quaestione: *vtrum in efficiendo morbo hypochondriaco lieni quoque suae partes debeantur, nec ne?* Si ad primum huius mali *genus* respicimus, quod ex cerebri neruorumque functionibus, a naturali statu per qualescumque animi perturbationes alienatis, oriri videtur, ideoque *sine materie* esse dicitur, quoniam etiam incisoribus plerumque in encephali neruorumque systemate nullae sensibiles atque manifestae apparent, quae naturae non respondeant, mu-

^{z)} Ueber das Betragen in Nervenkrankheiten; Wien 1783.

tationes: neminem profecto fore arbitramur, qui hic lienem, tamquam mali fontem, accuset. Obiici quidem, non sine aliqua veri specie, posset, lienem, quandocunque vitiatus est, neruulis suis stimulos velut quosdam imprimere posse: vnde ipsorum maiores coniunctiones in proprio plexu, ex posterioribus paris vagi ramis et sympathici paris plexu splanchnico gangliformi mirifice complicato, grauius adficerentur; transmissis simul suis irritationibus ad vniuersum ante dictorum magnorum neruorum, et ipsius demum cerebri, systema, si quando forte, ex commoto animo, contrario quasi itinere, noua in dictis neruis occurrerint irritamenta. Sic ergo, excitatis hinc circa haec loca variis spasmis, nasci posse hypochondriasis neruosam. Sed reponimus his sequentia. Primo ab anatomicis luculenter demonstrari, adeo exiguo nerveles esse splenicos, ut ipse lien parum hinc sentiat, raroque in inflammationem rapatur a). Quanto magis hic nerveles sensus obtundetur, si infarctus, tumor, scirrhusue eosdem compresserit? Dein saepe numero homines, ad speciem saltem optime valentes, in quibus morbosli lienis ne suspicio quidem esse poterat, ex subitaneo grauissimo animi adfectu in hanc hypochondriasis neruosam inciderunt; qui etiam, quando hoc ex malo perierint, incisoribus lienem, omni labe carentem, spectandum obtulerunt b). Porro etiam inter argu-

B 3

menta

a) Confer ALBERTS von HALLER *Grundriss der Physiologie*, § 679. edit. Meckel.

b) Videbis infra §. VIII,

menta huc facientia referas: splenis viscus saepe a naturali conditione prorsus alienatum post mortem in quibusdam hominibus esse animaduersum: in quibus viuis ne vestigium quidem pathematum hypochondriacorum obseruari potuit c). Forte grauior huius visceris labes exilissimos parumque exquisiti sensus capaces neruulos, his in exemplis, adeo grauiter corrupit, ut omnis eorundem cum suis truncis consensus plane tolleretur. Neutquam tamen absolute negatum ibimus, in hypochondriacis quoque nervosis interdum splenis vitia deprehendi; si symptoma hypochondriaca spastica diu, et sine magnis interuallis, saeuierunt. Sed tunc vitium splenicum, qualemque sit, quod spasmodorum hypochondriacorum effectus est, caue, inter causas reponas.

§. VII.

In genere viscerali an lien culpa vacet?

Verum enim vero in viscerali hypochondriasi paullo alia caussarum est conditio. Huic enim, quae cum materie esse perhibetur, suam quoque symbolam haud raro confert lien. ANNAEVS CAROLVS LORRY, quem paullo supra honorifice excitauiimus, idoneo argumentorum apparatu, dum in causas affectionis hypochondriacae atque melancholicae accuratius inquirit, simul in istarum numero atram blem

c) *Ibidem*, et supra not. x).

lem veterum non esse exauctorandam, demonstrauit d). Vnde facili coniectura colligi potest, lieni quoque, quippe, vnanimi fere medicorum consensu, humoris atrabilarii officinae, in efficienda hac viscerali hypochondriasi aliquas partes adsignari oportere. Qua de causa ego etiam splenis innocentiam atque operis hypochondriaci immunitatem vbi- que tueri non ausim. At enim vero hoc ipsum huius mali genus a solo et vnico liene repetere, semperque illius materiem, quae ipsi tribuitur, ex splenica offi- cina desumere, me multa vetant. Namque dissec- tiones hominum, hoc morbo, et quidem viscerali, consumtorum, vti suo iam innuimus loco, in opti- ma splenis integritate, alia, quae abdomini insunt, viscera, verbi causa, ventriculum, hepar, pancreas, mesenterium, intestina, a vitio quodam vexata de- texerunt. Praeter haec porro, repetere enim hoc ante expositum (§. VI.) liceat, sunt exempla lienum tumidorum, infartorum, scirrhosorum, a quibus nulla exorta est hypochondriasis. Quod si igitur tri- ste illud malum semper et absolute liensem tanto gra- du corruptum sequeretur, qui factum est, ut hic de- sideraretur? Probabilem quidem causam supra expo- sui: eritne vero omnibus accepta atque probata? Denique si omnia phaenomena, quae hoc viscerali genere laborantibus eueniunt, tacite et magna animi contentione mecum repto, temperare mihi non possum, quin in coniecturam inducar: nullam vn- quam hypochondriasin esse ex visceribus vitiis at-

que

d) In libr. citar. pag. 441. seq.

que corruptelis nascituram, nisi certa quaedam et definita, licet nobis adhuc inexplorata, systematis nervosi praedispositio obstetriciam velut attulerit opem. Ex his ergo hactenus disputatis patebit, spero, liuenem in Iueniosis saepe esse insontem.

§. VIII.

Indagationum anatomicarum specimina.

Antea vero, quam missos facimus lectores, veniam iporum recensebimus duo admodum memorabilia exempla incisorum cadauerum, ab optimo Praefide, qui incisioni interfuit, nobiscum communicata, et, ut existimamus, praesens hoc argumentum admodum illustratura. Sex circiter elapsi sunt anni, cum vir quidam litteratissimus nominisque celebritate maxime illustris subitanea morte, inter atrocissimas praecordiorum anxietates et cardialgias summas extingueretur. Negari non poterat, ipsum, siue studiorum rationes species, siue viuendi modum, semper fere singulare sectatum esse genus. Lucubrations protrahebat in seram noctem; coenabat media; ut somni breuitatem compensaret, meridianes addebat. Pinguis victus et dulciorum amans; in iracundiam pronus. Hoc modo tamen quinquagesimum supergressus erat annum, satis bene ceteroquin valens. Hypochondriaci mali afflictiones nunquam, nisi, per breue tantum tempus, admodum iuuenis, passus erat. Ut igitur mortis subitaneae caussa,
quoad

quoad eius fieri posset, per anatomem indagaretur, placuit, postero a morte die, defuncti cadauer subiicere incisioni; quam exercitatisimus quidam doctissimusque anatomicus, praelente simul *Praefide nostro*, instituit. Abdomen non tumidum et expansum, sed potius nonnihil collapsum erat. Quo inciso omentum in conspectum venit paruum, tenuerat, parum pingue, vix ad umbilici regionem potensum. In ventriculo atque intestinis nihil, quod a natura alienum esset, offendebatur. Mesenterium quoque pinguedinis parum continebat; sed venae mesentericae sanguine turgebant, deprehensis hinc inde glandulis eiusdem induratis. In pancreate sinistrorum tactus nonnullos nodulos scirrhosos distinguebat. Iecinoris autem atque lienis plane peruersa erat conditio. Hepar enim minoris, ac solet, magnitudinis, paene siccum et exsiccum, coloris ex atro fusci, obseruabatur: adeo, ut tostum facile videri posset. Venae portarum truncu piceus fere inhaesit sanguis. Fellea vesicula bile tenui, magisque flauescente plena. Lien magnus, ater, compactus, durusque. Renes cum natura conuenerunt. In aperto thoracis cauo vterque pulmo fere totus, superiori tamen potissimum parte, infinito vomicarum, maiorum minorumque, numero scatebat: quarum plures simul disruptae ichore suo effuso bronchiorum meatus, ut ex horum incisione patuit, inundauerant, et hinc subito eliderant spiritum. Anteriora cordis caua, his ipsis ex causis, sanguine multo atro atque spisso abundasse, quis est, qui non suspicetur? En! igitur hic largam materiem

C

hypo-

hypochondriacam sine hypochondriasi! Sed sequens exemplum sistet luculentam hypochondriasis sine materie. Dimidio circiter hoc seculo *Praeses* noster in Academia Halensi commilitonem habuit, nomine E. erectioris ingenii, indefessae diligentiae, honestissimorumque morum inuenem, incorrupta ceteroqui valetudine semper usum. Hic cum in eo esset, ut doctoris dignitatem digne, si quis alias, mereretur, animum simul adiecit ad ambiendas virginis eximie moratae, honestisque parentibus ortae, nuptias. Nec repulsam tulisset, nisi, ipso inscio, virgo haec alii, itidem ab honestate commendatissimo, viro paulo ante esset desponsata. Ergo velut attonitus recessit. Ex eo die animi alacritas euanuit; ipse in se quasi conuersus, solitudines quaesivit, amicorum consortia evitavit, et velut inter tacitas lamentationes vixit. Pedetentim atrox hic animi morbus sacerdutem, donec tota pessimum malorum hypochondriacorum incumberet cohors, viresque tam animi, quam corporis, vehementer exhauriat. Multa, cum optima, tum accommodatissima consilia medica atque moralia, ab ipsis praceptorum et medicis, viro clarissimo, PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO, proposita, nihil profuerunt. Tandem, vita hac aerumnosa per trimestre protracta, eo ipso die, quo amatissimae virginis nuptiae erant, in lecto decumbens infelix iuuenis vesperi, cultello anatomico, vasa colli maiora, arteriosa et venosa, utrinque sibi incidit, et vitae, et aerumnarum, finem fecit. Mane repertum cadauer, coram commilitonibus et amicis

cis, ab exercitatissimo BOEHMERO incisum et indagatum est: sed, si vasorum excipias vacuitatem, licet omnium cauorum, cranii, thoracis, abdominisque viscera sollicitate inquirerentur, de nullo alio cadavere humano facile significantius adfirmati potuit hoc:

In toto nusquam corpore menda fuit.

Heu! quantum malorum iam pridem suadere potuit
WERTHERIANISMVS ante WERTHERVM!



RE

... schafft es nicht, die
Gesetze zu erfüllen, die man
erstellt hat. Es kann
nichts geschehen, was
der Mensch will, wenn
die Gesetze es verhindern.
Dann kann der Mensch
nichts tun, was er will.

Heute sind wir hier
um einen Tag später
wieder hier. Ich habe
einen kleinen Brief
an Sie geschrieben, um
Sie darüber zu informieren,
dass ich Ihnen ein
kleineres Geschenk
mitbringe. Ich hoffe,
dass Sie es mögen.


v


01 A 6631

ULB Halle
004 931 246

3







DE
LIENE IN LIENOSIS
SAEPE INSONTE

18

PRAESIDE
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVS SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVGAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXI. IANVARII CICOGCCXCI.
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

RITE CAPESSVRVS

PVBLICE DISSERET

IOANNES SAMVEL LANGE
LANDSBERGENSIS NEOMARCHICVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.